



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

115. De S. Villeico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

patus aut Episcopalis sedes, nec vnquam ibi resedit Episcopus, nec ante aduentum S. Swiberti, nec post. Werda semper fuit & est parochia Diocesis Colonienfis subiecta Episcopo Colonienfi. Donata fuit S. Swiberto in habitaculum dumtaxat; non in sedem Episcopalem. Vnde error ille potuerit fluxisse, lege infra diff. 144.

De parentela S. Swiberti habet B. Furmerius S. Willib. & Swibertum originem trahere ex stirpe Hengisti Frisij Anglo-faxonum Ducis. Hengistus enim, iuxta ipsum, primus Cantia in Britannia Rex hæredem reliquit Oriechium: ex quo nati sunt Ebissa, Octa & Edelredus. Edelredus filiam reliquit Ostridam quæ nupta cuidam Dynastæ Anglo ex eo peperit Oroniam & Bertam filias. Ex Oronia nupta Villegiso viro nobili ac pio natus est Willebrordus. Berta ex sigeberto Comite de Nortigam peperit Suidbertum: itaque ex duabus sororibus hi viri nati cum essent, eandem quoque fortunam semper inter se concordés fortiti sunt. Hæc verò non parum differunt ab ijs quæ diximus de parentela S. Willebrordi diff. 1.

DISSERTATIO CXV.

De Sancto Villeico,



IN Sacratissimo Traiectensi Collegio sub S. Willibrordo claruit Villeicus sacerdos & prædicator egregius, qui salutaribus prædicationibus in Diocesi Traiectensi cum S. Swiberto intergentes præclaros fructus peperit. Postmodum cum Annum circiter 702. S. Swibertus relictæ Frisia à S. Willibrordo

do discederet in Westphaliam, ut fidus Achates eum secutus est cooperatore tam in prædicando, quam congregando & ædificando Monasterio Werdensi quod liberalitate & auspicijs Pipini S. Swibertus construebat & cui defuncto Swiberto Præpositus præficebatur. Gratus admodum fuit Pipino Heristallo eiusque coniugi Plectrudi. de eo hæc Molanus prima Martij:

Hic Evangelicus sacerdos & confessor, primùm fuit Canonicus conuentus nouellæ Traiectensis Ecclesiæ, vas virtutum, Latina lingua & Germana eruditus; eloquentissimus & mansuetissimus; iræ & auaritiæ victor; superbiæ & vanæ gloriæ contemptor; pauperum & infirmorum consolator. Multos gentiles in diuersis prouincijs saluberima prædicatione à veneno idololatriæ, ad dulcorem fidei Christi perduxit. Postea Præpositus fuit in Werdensi monasterio, sub sancto Swiberto coëpiscopo sancti Willibrordi, cui congregationi annis decem, post mortem sanctissimi præfulis, præfuit. Mortuus est anno septingentesimo vigesimo septimo.

Addit Marcell. Miraculum à Velleico patratum Colonia in quodam Coloniensi primario acerrimâ egritudine perpresso ad sanitatem reducto. Post mortem etiam miraculis claruisse.

Vbi aduerte primò, Vitam S. Swiberti apud Surium legere non primùm Canonicus, sed primus Canonicus. Verùm lectio Molani est verior, nam cur primus Canonicus? An alij ante ipsum non fuerunt Canonici? An hactenus solus in Ecclesia fuerit Canonicus? Cur non priores Canonici, Werenfridus, Swibertus, Adelbertus quos primos Traiectum aduenisse refert cap. 6. & inter eos primos non connumerat Willeicum quasi post aduenit? Vide etiam quæ de Canonicis sunt dissertatione 84.

Ad.

Adu. 2. apud eundem Marcellinum Willeicum obiisse anno 727. & defuncto S. Swiberto per decennium Werdam gubernasse. Et quidem dicitur hoc consequenter ad ea quae idem habet S. Swibertum obiisse anno 717. nos autem mox supra probauimus S. Swibert. obiisse anno 715. vnde consequitur, si decem annis defuncto S. Swib. Werdam rexit, eum obiisse anno 715. Sacras eius exuias potissimum seruati Dufeldorpij & Werdæ, aliquas etiam Coloniae monet Gelenus in sacris Coloniensium. Vnde aut quo tempore Traiectum aduenerit, quot annis in ea Diocœsi prædicauerit, est planè tenebris sepultum.

DISSERTATIO CXVI.

Quomodo, quando & vbi interierit
Radbodus.



T è viuis excessit gloriosus Pipinus cuius armorum timore Frigidi Frisij continebantur, Radbodus quasi laxatis habenis, contemptui habens adolescentiam Martelli (erat is viginti tantum annorum) & in occasionem sumenseiusdem captiuitatem, simul dissidia Principum Francorum ob successionem in Maioratum, impietatis castra in Frisiam Orientalem Austrasiamque mouet. Confederatus deinde Martelli aduersarijs Chilperico, quem debellato Theobaldo Plectrudis nepote Regem Franci constituerant & Raginfredo quem magistrum equitum siue Maiorem Domus crearant, Coloniam vsque populabundus excurrit. In quem è carcere elapsus dum insurgit Martellus
magno